



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De forma, seu ritu in Censuris ferendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

casu excommunicationem incurrit, juxta sententiam Filliucci, Rebelli, Nav. apud Bard. disp. 6. de conscientia dubia §. 13. (nisi præsumptio stet contra mandantem, & consulentem; quia in dubio excommunicatio non incurritur; Secus dicendum de irregularitate, si sequatur homicidium, quia in jure exprimitur, quod irregularitas etiam in dubio homicidii incurritur.

Oppones cum Sylvest. V. *Excommunicatio*, & Rosel., est hæc regula juris in 6., *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Unde etiam de Pilato, qui solum mandavit, apprehendi Christum Dominum, & flagellari, dicitur Joan. 19. *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*; ergo quando fertur censura in facientes aliquid, incurritur pariter a mandante, & consulente, quamvis id in jure non exprimitur.

Confirmatur, quia de facto in *cap. Mulieres, de sententia excommunicationis in 6.* habetur, eos, quorum auctoritate, aut mandato alii injiciunt manus violentas in Clericum, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innoc. II. in *can. si quis suadente Diabolo*; quæ tamen prædicti canonis excommunicatio solum fertur in facientes, seu in percutientes Clericum, nulla facta mentione mandantis, seu consulentis; ergo universim sicut faciens, ita mandans, aut consulens incurritur censuram.

Respondeo, nunquam qui consulit aliquid, dicitur illo pacto facere illud; Et quamvis qui aliquid mandat, aliquando æquiparetur facienti, juxta regulam adductam, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*; at in pœnalibus mandans non æquiparatur facienti, quia odia stricte interpretanda.

Ad confirmationem dico, ex vi Canonis, *Si quis suadente Diabolo,*

non esse excommunicatos mandantes percussorem Clericorum, cum de iis Canon non loquatur; esse tamen excommunicatos ex vi alterius Capituli *Mulieres in 6.* ubi extenditur eadem excommunicatio in mandantes talem percussorem; Sicut etiam in *cap. Quanta, de sententia excommunicationis*, extenditur ad non impedientes, quando tenentur impedire. Hinc reservatio facta a Clem. VIII. illorum sex casuum, quibus nequeant Mendicantes intra Italiam extra Urbem absolvere, cum solum loquatur de percussore Clerici, non includit mandantes percussorem, aut illam non impedientes, quando ex officio ad id tenentur.

ARTICULUS V.

De forma, seu ritu in Censuris ferendis.

- I. *Ad censuram incurrendam prærequiritur contumacia, qua haberi non potest sine prævia monitione. Hac autem duplex est, Canonica, & non Canonica. Vim habet monitionis non Canonica lex prohibens aliquid sub Censura sententia lata, non vero ferenda.*
- II. *Ut quis declaretur excommunicatus, prærequiritur citatio Rei, ut possit se defendere, nisi delictum sit notorium.*
- III. *Plura requiruntur, ut quis excommunicetur. Si nulla monitio præcedat, Censura, qua infligitur, est invalida: Est vero injusta, si non præcedat monitio Canonica, saltem virtualiter irrita. Quid si Reus non inveniat? Quid si censura feratur die festivo? Quid si non feratur scripto?*
- IV. *Ad formam substantialem Censuræ plura spectant; videlicet Monitio, Citatio Rei, & quod signis externis*

n̄s exprimat̄ur tum censura, tum persona determinata, necnon tempus p̄sens.

V. Sub quanam conditione possit valide censura ferri? Et quandonam possint suspendi effectus Censuræ?

VI. Quid requiratur, ut Appellatio suspendens effectus Censuræ sit legitima? Quandonam appellatio impedit sententiam declaratoriam Censuræ incursum?

VII. Ad accidentalem formam Censuræ plura etiam spectant; p̄sertim irina monitio, Scriptura, denunciatio. Aliquando non tenetur per accidens Superior censuram denunciare, seu publicare. A quonam J̄dice denunciatio isthac fieri debeat, aut possit? Ante denunciationem p̄rire debet sententia declaratoria Criminis, & citatio partis, si crimen non sit notorium, & inexcusabile.

I. **D**iximus art. super., quod, ut possit infligi in aliquem censura, p̄requiratur contumacia, seu inobedientia Ecclesiæ p̄cipientis simul, & monentis; ita ut si quis solum transgrediatur p̄ceptum Ecclesiæ sine ulla p̄via monitione, contumax dici non possit, nec capax excommunicationis; Quod etiam deducitur ex *Cap. Nemo Episcoporum 2. quasi 3.* ubi habetur, non debere quempiam excommunicari, nisi quia aliter non potuerit corrigi; qui autem per Ecclesiam nondum est monitus, p̄sumitur per monitionem Ecclesiæ corrigi potuisse; ergo nisi p̄cedat Ecclesiæ monitio, Censura infligi non potest.

Duplex autem datur monitio; altera dicitur Canonica; altera non canonica. Monitio non canonica est ipsum p̄ceptum juris, vel hominis sive generaliter, sive in particulari aliquid p̄cipiens, vel prohibens sub

pœna censuræ sive latæ, sive ferendæ sententiæ. Monitio vero canonica est monitio juxta sacros canones instituta, quæ auctoritate Judicis fit ipsi Reo personaliter coram testibus in scriptis, ut a culpa, quæ explicatur in monitione, resipiscat. Hæc autem canonica admonitio esse debet vel trina formaliter, vel virtualiter, seu una pro tribus, dato pro singulis sufficienti temporis spatio ad deliberandum, dicendo, verbi gratia, Moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra tres hebdomadas hoc, vel illud facias, concedendo tibi singulas hebdomadas pro singulis monitionibus; de qua monitione canonica inferius plurima dubia solvemus. Interim dicimus, certum esse apud Doctores requiri aliquam monitionem saltem non canonicam, ut censura incurratur. Certum pariter est, quod lex prohibens aliquid sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ vim habeat monitionis non canonicæ; ac proinde talis lex sufficit, ut patrato crimine prohibito statim censura incurratur, nec requiratur nisi citatio Rei ad defensionem, ut declaretur in censuram incurrisse; nisi delictum ita sit notorium, ut nulla tergiversatione celari possit, unde citatio sit superflua.

Dubium vero est apud Doctores; an lex prohibens aliquid sub censura ferendæ sententiæ habeat vim monitionis non canonicæ? Et nos art. super. diximus cum Suar., Pal., & communiori sententia contra Sanch., & Filliuc., non habere hanc vim; unde, ut censura incurratur propter talem legem, p̄requiritur nova monitio canonica, ac deinde inflictio censuræ.

II. Quæritur nunc primo; Quid requiratur, ut aliquis declaretur excommunicatus, vel alia censura irretitus?

Respondeo ex dictis requiri primo, ut commiserit delictum prohibitum sub

pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ: Secundo, ut si delictum non sit notorium, præmittatur citatio Rei, qui possit se defendere, & si vincatur, sequatur sententia declaratoria criminis; aliter invalida est tam sententia declaratoria, quam ipsa denunciatio censuræ, ex illo principio juris generali, *Contra inauditam partem nihil potest in iudicio definiti*. Quod si delictum sit notorium, potest omitti citatio, ex Suar. disp. 3. sect. 10., & Leand. quæst. 2. Tertio requiritur, ut reum sui criminis non poenituerit; si enim ostenderit signa poenitentiae, absolutionem petierit, & satisfactionem debitam exhibuerit, non est denunciandus excommunicatus, sed ab excommunicatione absolvendus, ex *Cap. Qua fronte, de Appellat.*; quia censura finis jam est obtentus, videlicet emendatio Rei.

III. Quaritur secundo; Quid requiratur, ut aliquis excommunicetur, suspendatur, &c.?

Respondeo, requiri primo, ut commiserit delictum prohibitum sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. Secundo, ut præmittatur monitio canonica supra explicata: Nec satis esse solam citationem, etiamsi crimen sit notorium, diximus cum communiori sententia apud Leand. quæst. 26. Tertio, ut elapso tempore a monitionibus præstituto adhuc in inobedientia persistat; tunc enim potest excommunicari, suspendi, interdici.

Diximus tamen, monitionem canonicam debere esse trinam vel formaliter, vel saltem virtualiter, hoc est unam pro tribus, assignato pro singulis aliquorum dierum intervallo, ut habetur in *Cap. Constitutionem, de Sententia excommunicationis in 6.* unde ex Suar. sufficit, ut iudex constituat sex dies, explicando, quod binos dies concedat pro singulis monitionibus. Quod si periculum est in mora, pos-

sunt pro singulis monitionibus assignari singula horæ, vel singuli quadrantes, vel minus, spectata necessitate, ut videre est apud Leand. quæst. 28., & Laym.

In eodem etiam Cap. dicitur, quod urgente necessitate satis sit una tantum monitio; sicut etiam si delinquens ad primam admonitionem appareat incorrigibilis, tunc secunda, & tertia admonitio, tamquam superflua, possunt omitti.

Dubitatur hic primo; invalida ne sit, an solum injulta, & illicita censura, quæ feratur pro peccato præterito sine ulla prævia monitione?

Respondeo, Vasq., Avil., & alios communiter docere esse invalidam; cum de essentia censuræ videatur esse aliqua monitio, ex illo Christi Domini: *Si Ecclesiam non audierit, si tibi tamquam Ethnicus*. At Cajet., Cordub., & plurimi Canonistæ apud Filiuc., & Leand. quæst. 8. putant, esse tantum illicitam, non invalidam; præterquam in casibus a jure expressis, qui sunt duo; Primus, si feratur excommunicatio contra participantes cum excommunicatis ab eodem iudice; Nam in *Cap. Statuimus, de Sententia excommunicationis in 6.* permittitur, hoc fieri solum prævia canonica monitione; unde si monitio omitatur, censura est nulla; Secundus casus est, si iudex accipiat jurisdictionem ferendi censuram sub hac conditione expressa, quod præcedat monitio, ut habetur in *Cap. Cum expressa, de Prescript.* Ratio autem, quare reliquæ censuræ latae sine prævia monitione propter peccatum præteritum non sint invalidæ, videtur esse quia Alex. III. in *Cap. Romana, de Sententia excommunicationis in 6.* vocat eas injustas, non irritas. Quare illa verba Christi Domini, *Si Ecclesiam non audierit, &c.* videntur intelligenda aut de correctione fraterna, aut de

de potestate ordinaria Ecclesiæ, quæ non possit sine prævia monitione ferre censuras, non vero de potestate extraordinaria, seu de plenitudine potestatis.

Arridet mihi communis sententia, quæ docet, esse invalidam censuram, si nulla monitio præcedat; Esse vero injustam, ut dixit Alex. III. citatus, si non præcedat monitio canonica triana vel formaliter, vel virtualiter: Ex quo infert Leand. quæst. 18., quod stando in jure communi iudex peccaret mortaliter, & incurreret suspensionem ab ingressu Ecclesiæ latam ab Innoc. III. Cap. *Sacro*, de *Sententia excommunicationis in 6.*, si hanc trinam monitionem omitteret. Advertendum tamen, pœnam hanc suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressa mentio fiat, non incurri ab Episcopo omittente trinam monitionem, quia in *Cap. Quia periculosum, eodem titul.* dicitur, quod Episcopi non comprehenduntur in sententia generali suspensionis.

Dubitarur secundo; cuinam faciendâ sit monitio, si reus ita se abscondat, ut nequeat inveniri?

Respondeo, debere in tali casu affigi monitionem domui ipsius, vel alteri loco publico, unde ad ejus notitiam pervenire possit; videlicet ad valvas Ecclesiæ matricis, vel in platea, vel in tribunali: Quod si reus per vim impediatur, ne id fiat in sua civitate, aut provincia, satis est si fiat in loco viciniore: Et post publicationem hanc præsumitur in foro externo devenisse monitionem in notitiam Rei, nisi contrarium probetur. Adverte tamen, monitionem debere aut tradi reo, aut affigi secundum ordinem juris, idest non solum nomine Judicis, qui laturus est censuram, sed etiam coram idoneis testibus, ex Suar. disp. 3. sect. 2., & aliis communiter, & fieri debet ejusmodi monitio sub

comminatione censuræ.

Dubitarur tertio; an possit ferri censura die festivo?

Respondeo, denunciationem censuræ frequenter fieri die festivo, dummodo præcesserit cognitio causæ; quia sic in plurimum notitiam devenire potest: At censura non solet ferri die festivo; quia, ut rite feratur, plerumque requirit cognitionem causæ, a qua abstinendum est die feriato, ex *Cap. final. de Feriis*. Si tamen die festivo feratur censura, non est invalida, ut docent Suar., & alii communiter, contra Leand. quæst. 28. disp. 7.

Dubitarur quarto; Sitne invalida censura, quæ verbo dumtaxat feratur, non scripto continente causam censuræ?

Respondeo, Sayr. putare esse invalidam; quia in *Cap. final. de sententia, & re judicata* exigitur necessario scriptura. Sed Laym. part. 1. cap. 6., Avil., Pal., & alii communiter putant, esse tantum illicitam; quia jus exigens scripturam non irritat censuram aliter latam. Quod dicitur in *Cap. final.* adducto a Sayr. intelligendum est de sententia punitiva criminis, & decisiva litis, non vero de sententia ferente censuram, quæ non tam ad puniendum, quam ad corrigendum, & præcavendum delictum infligitur.

Peccat tamen mortaliter iudex, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, si censuram ferat aut solo verbo, aut sine expressione causæ, aut si parti petenti exemplar talis scripturæ non concederet illud intra mensem. Ita Bonac. punct. 8., Avil., Con. Ratio est, quia peccat contra jus in materia gravi, quod idcirco talem scripturam exigit, ne iudex in ferenda censura sit præceps; & ut ligatus censura possit ad superiorem appellare, qui non posset facile judicare, nisi per scripturam nota esset causa censuræ.

Ab

Ab hac poena suspensionis eximuntur Primo Episcopi, qui censuram ferrent solo verbo, propter rationem supra adductam, videlicet, quia de Episcopis in textu laudato expressa mentio non fit. Secundo, qui non excommunicant, sed tantum denunciant excommunicatum. Tertio, si propter urgentem, & iustam causam Iudex ferret censuram sine scriptura; quia scilicet aliter fieri non posset. Quarto, qui bona fide hoc facit, & ex inadvertentia. Quinto demum ex Henr., & Sayr. contra Navar., & Ugolin., si sit Praelatus regularis, ex privilegio Leon. X. apud Leand. disp. 6. quaest. 17.

IV. Quaeritur tertio; Quanam pertineant ad formam substantialem censuræ, seu ad ejus. valorem? Quanam vero ad formam accidentalem?

Respondeo. Ad formam substantialem censuræ ea pertinere, sine quibus censura est nulla; Ea vero ad formam accidentalem pertinent, quæ jure positivo ad censuræ solemnitatem spectant; ita ut sine iis adhuc censura sit valida, quamvis illicita. Agimus nunc de forma substantiali, postmodum de accidentali.

Primo itaque ad formam substantialem spectat, ut censuram præeat aliqua monitio vel non canonica, vel canonica. Quod autem monitio canonica sit trina, non spectat ad valorem, seu ad formam substantialem censuræ, sed ad accidentalem. Secundo, ut ante sententiam præcedat citatio partis; quamvis ipsa monitio canonica, quando præcedit, habeat vim citationis. Tertio, ut censura non per solam internam voluntatem Judicis, sed per signa exteriora feratur, sive ea sint verba, sive scriptura, &c.

Quarto, ut verba, seu alia signa exprimentia censuram expriment censuram determinatam; si enim Iudex dicat, *Qui hoc fecerit, sit censura*

ligatus, nullam censuram determinando, nulla censura incurritur a reo; quia illa verba sunt indifferentia ad excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum; & nisi determinantur ad unam potius, quam ad aliam censuram, nihil efficiunt. Nec ulla censura incurritur, si Iudex dicat, *Qui hoc fecerit, sit suspensus*; quia pariter multiplex datur suspensio, videlicet ab officio, beneficio, & ab utroque: (Avila tamen 3. p. disp. 2. ex Sylv. & Henr. docet suspensum absolute esse illimitate suspensum, videlicet ab Ordine, ab Officio, & a Beneficio). Et eadem est ratio de interdicto, quod etiam dividitur in locale, & personale; Secus vero, si Iudex dicat, *Qui hoc fecerit, sit excommunicatus*; quia quamvis excommunicatio dividatur in majorem, & minorem, antonomastice tamen excommunicatio sumitur pro excommunicatione majori. Adde, Ugolin., Henr., & alios apud Bonac. punct. 7. putare, quod si feratur vel excommunicatio, vel suspensio sub disjunctione, nulla censura incurritur, cum non sit major ratio de una, quam de alia. Verum Bonac. cum Suar., & Filliuc. putant in tali casu incurri unam censuram ad libitum poenitentis, vel si nullam eligat, utramque incurri, aut saltem neglecta una, teneri illico servare alteram.

Quinto, sicut verba debent exprimere censuram determinatam, ita pariter debent personam determinatam exprimere, verbi gratia, Petrum, vel saltem relate ad delictum, aut aliud munus determinatum, puta, latrones, Parochos, &c. Quare ex Bonac., Suar., & aliis, si superior dicat, Excommunico unum ex illis duobus, qui furati sunt, neuter est excommunicatus.

Demum verba debent etiam exprimere tempus præsens; unde non incurritur excommunicatio, si dicat Su-

perior, Excommunicabo Petrum.

V. Queritur quarto; Possitne valide ferri censura sub conditione?

Respondeo, posse censuram non solum valide, sed etiam licite ferri sub conditione pertinente ad causam, sive sit de præsenti conditio, sive de præterito, sive de futuro; Verbi gratia, si quis hoc fecerit, vel nisi intra mensem satisfecerit pro furto, sit ipso facto excommunicatus. Potest etiam valide, quamvis illicite, ferri sub conditione de præsenti, seu de præterito impertinente; Verbi gratia, si Turca dormit, si fulmen cecidit; nam in his casibus cum conditio actu extet, non suspenditur effectus censuræ. Verum invalida est censura sub conditione de futuro, quæ non pertineat ad causam; Verbi gratia, si cras pluet. Ratio est, quia huiusmodi censura continet intolerabilem errorem; ergo est invalida. Consequentia sequitur ex *Cap. Per tuas*, & *cap. Solet, de Sententia excommunicationis in 6.* Antecedens probatur, quia, ut optime Ugolin., & Suar., est intolerabilis abusus spiritualis potestatis velle, quod effectus dependeat a futuro eventu impertinente: quare ad formam etiam substantialem censuræ spectat, ut non feratur sub conditione de futuro, quæ ad causam non pertineat.

Petes hic; An, & quomodo suspendi possint effectus censuræ latæ sub conditione de futuro ad causam pertinente?

Respondeo, quando fertur censura sub conditione de futuro ad causam pertinente, ut si dicatur, Nisi intra mensem fur satisfecerit, sit excommunicatus, hac conditione pendente possunt suspendi effectus censuræ, ita ut purificata conditione censura non incuratur; Primo quidem per appellationem legitime factam, antequam impleatur conditio, ut patet ex *Cap. Præterea*. Secundo, ut notat Paludan.,

per alias causas æquivalentes appellationi; ut si quis non potens, aut nesciens appellare committat se protectioni Sedis Apostolicæ, ex *Cap. Ad audientiam, de Appellat.*; vel si ad Sedem Apostolicam iter arripiat, ex *Cap. Dilecti filii, ibidem*; vel demum si Superior, vel Papa causam ad se avocet tollendo inferiori jurisdictionem; Tertio, per voluntatem ejus, in cuius favorem censura lata est; Quare si ad instantiam creditoris præcipiatur sub censura, ut intra mensem fiat restitutio, & creditor velit tempus hoc prorogari, suspenduntur effectus excommunicationis. Etenim sicuti cessante causa excommunicationis, cessat excommunicatio; ita suspensa, vel prorogata causa excommunicationis, ipsa etiam suspenditur, aut prorogabitur. Si tamen post terminum prorogatum conditio impleatur, hoc est debitor non restituat, probabilius est, statim incurri censuram absque novo consensu Judicis, ut docent Leand. quæst. 2. disp. 4. Suar., & alii contra Navar., Ugolin., Sylvest.; quia voluntas illa Judicis moraliter perseverat.

VI. Rogabis ulterius; Quid requiratur, ut appellatio sit legitima?

Respondeo, primo requiri, ut causa sit probabilis, non frivola, & ad litem dilationem. Secundo, ut fiat, antequam conditio impleatur, ex *Cap. Præterea 2. de Appellat.* apud Bonac. quæst. 3. punct. 3. Idemque docent Suar. lect. 6., Navar., Covarr., & alii contra Abbat., & Ugolin., qui requirunt, ut fiat intra decem dies, ex *Cap. Quoad consultationem, de Sententia, & re judicata*: Propterea docet Suar., priorem sententiam, quod appellatio fiat, antequam conditio impleatur, esse tutam in conscientia, & posse pro illa Judices judicare in foro exteriori; quia textus adductus ab Abbat. non loquitur de censuris; verum

rum sententia Abbat. , quod appellatio fiat intra decem dies, aptior est ad lites dirimendas.

Advertendum tamen primo, quod impleta conditione, quamvis a censura conditionata non possit amplius appellari quoad effectum suspensivum, cum vere talis censura sit executioni mandata, nec possit nisi per absolutionem tolli; At potest ab ea appellari quoad effectum devolutivum, seu ita ut remaneat reus excommunicatus, sed devolvatur iurisdictio ad superiorem, ut docent communiter Doctores, ex cap. *Pastoralis* cum Suar. loc. cit.; ubi dicit, oppositum sentientes graviter in hac parte errasse.

Advertendum secundo, quod ante denunciationem appellari possit a sententia declaratoria censuræ incursum, ita ut post talem appellationem denuntiatio fieri non possit ab eodem Iudice, ut notavit Filiuc. ex Navar., & Covarr. Verum hoc militat, quando fertur censura a iure, vel quando denunciari debet a delegato, & quando factum non est notorium; Etenim quando factum est notorium, & quando censura fertur ab homine, & denunciari debet a Iudice ordinario, si post sententiam declaratoriam criminis interponatur appellatio, adhuc Iudex ordinarius procedere potest ad denunciationem; quia cum jam sententia sit lata a proprio Iudice, non potest deinde impediri ejus effectus, videlicet denuntiatio. Ita Leand. quæst. 12., Suar., & alii contra Sanch., & Navar., qui putant nullo pacto posse denunciari.

VII. Quæritur ultimo; Quotuplex sit forma accidentalis in ferenda censura?

Respondeo, esse triplicem, videlicet Antecedentem, Comitantem, & Consequentem. Pertinet ad formam accidentalem antecedentem trina motivatio supra explicata: Ad Comitantem

tem pertinent illæ circumstantiæ enumeratæ, videlicet quod feratur scripto continente causam censuræ, quod tradatur exemplum parti illud petenti, quod non feratur nisi die feriato, &c. Ad Consequentem demum pertinet ipsa denuntiatio, seu publicatio censuræ: Quod ideo fieri debet, ut ipsi excommunicatis ubique occludatur aditus Ecclesiasticus, & ut exculationis causa omnibus auferatur, ex Cap. *Curia sit quæst.* 3.

Dubium tamen est; Utrum ex præcepto denuntiatio censuræ fieri debeat a Superiore, an vero possit illam pro arbitrio omittere?

Respondeo, de denunciatione suspensivæ, & Interdicti nullum extare sufficiens præceptum; unde tunc solum obligatur Iudex ad talem censurarum denunciationem, quando delicti gravitas, & Rei contumacia requirit illam; necnon in casibus a iure expressis: De excommunicatione vero extat, per se loquendo, præceptum denunciationis in laud. Cap. *Curia sit*; quamvis modus denunciandi ibi præscriptus non cadat sub præceptum, sed satis sit juxta consuetum loci morem facere denunciationem, videlicet publicando censuram in Ecclesiis, deinde in scriptis præ foribus Ecclesiæ, aliisque publicis locis cum expressione causæ: In solemnibus vero anathemate, ut narrat Gratian. apud Leand. quæst. 22. circumstant Episcopum duodecim Sacerdotes nigris vestibus induti, & lucernas tenent ardentibus in manibus, quas in conclusione excommunicationis projiciunt, & pedibus conculcant, aliæque ceremoniæ ibi adduntur ad terrorem Rei.

Advertendum tamen, aliquando Iudicem per accidens non obligari ad faciendam denunciationem excommunicationis, si videlicet aut scandalum sequatur, aut periculum alicujus damni ex denunciatione immincat.

Quan-

Quando vero bonum privatum, vel commune talem denunciationem postulat, ad illam tenetur; sicuti etiam quando pars instat, ut communiter docent apud Leand. disp. 7. quæst. 15.

Dubitat uterius; A quonam Iudice facienda sit denunciatio Censuræ?

Respondeo cum communi contra Ugolin., & Geminian., denunciationem censuræ in delictis omnino certis, & notoriis fieri debere ab habente ad hoc potestatem ordinariam, vel delegatam; cum denunciatio sit actus executivus censuræ pertinens ad potestatem correctivam: Quare si censura lata fuit ab homine vel per sententiam particularem, vel per statutum, denunciatio primo, & per se fieri debet ab ipso, (cum ad ipsum pertineat exequi sententiam suam) deinde ab aliis Episcopis, vel Pastoribus, si fuerint ab ipso requisiti, ex Glossa. Quod si censura lata sit a jure communi, tunc denunciatio non solum fieri potest ab Episcopo illius Diocesis, ubi patratum est delictum, ut docent Suar., Bonac., & alii cum Leand. quæst. 6., eo quod ratione delicti ibi commissi Reus factus sit quoad hoc subditus; sed etiam fieri potest a proprio Ordinario ipsius delinquentis; ut iidem docent contra Filliuc., Cornejum, & Alter.

Advertendum denique, quod supra innuimus, videlicet ante denunciationem præcedere debere sententiam declaratoriam criminis, ratione cuius lata fuit censura. Ita communiter Doctores contra Panormit., & Felin., qui putant hoc non requiri, quando crimen est ita notum, ut nullam habeat exculationem, nec ulla possit tergiversatione celari; quod tamen raro accidit, siquidem vix fieri potest, ut crimen quodcumque sit omnino inexcusabile: Quoniam vero sententia declaratoria criminis est actus judicialis,

Paris VIII.

debet consequenter illam præcedere citatio Rei, ut declaratio fieri possit cum cognitione causæ; jure enim naturali conceditur unicuique copia defensionis, antequam damnetur. Quod si citatio non præcedat, sententia non solum est injusta, sed etiam invalida, ut ipsemet Pontifex testatur Cap. 1. de Causa possessionis, & proprietatis dicens: *Nec nos contra inauditam partem possumus aliquid definire.* Ita etiam communiter Doctores, qui pariter docent, quod si Reus citatus statim compareat, crimen fateatur, & satisfactionem offerat, non possit juste denunciari, sed debeat absolvi, ut notat Leand. quæst. 10., & Suar. disp. 3. sect. 10., quandoquidem pœna medicinalis, reo correcto, non debet amplius perseverare; & multo minus debet augeri per denunciationem, per quam & ab aliis vitandus est, & coram aliis infamatur.

ARTICULUS VI.

Quanam excusent ab incurrenda Censura?

- I. Septem de causis excusari aliquis potest ab incurrenda Censura.
- II. Potest censura esse nulla ex quadruplici capite. Multipliciter etiam potest esse nulla sententia censura.
- III. Quanam injustitia causa reddat nullam sententiam censura? Quid sit appellatio, quam putas legitimam, a Iudice ut frivola repellatur?
- IV. Quando nam innocens tenetur ad vitandum scandalum se gerere ut excommunicatum? Et quando tenetur obtemperare Iudici sub censura aliquid præcipienti? Probabilius solum tenetur peccatum, & scandalum vitare.
- V. Num possit Iudex ad instantiam partis excommunicare aliquem secundum

E

dum